





**IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic
Sciences
Corporation**

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

**CIHM/ICMH
Microfiche
Series.**

**CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

© 1986

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- Coloured covers/
Couverture de couleur
- Covers damaged/
Couverture endommagée
- Covers restored and/or laminated/
Couverture restaurée et/ou pelliculée
- Cover title missing/
Le titre de couverture manque
- Coloured maps/
Cartes géographiques en couleur
- Coloured ink (i.e. other than blue or black)/
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- Coloured plates and/or illustrations/
Planches et/ou illustrations en couleur
- Bound with other material/
Relié avec d'autres documents
- Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- Additional comments:/
Commentaires supplémentaires:

- Coloured pages/
Pages de couleur
- Pages damaged/
Pages endommagées
- Pages restored and/or laminated/
Pages restaurées et/ou pelliculées
- Pages discoloured, stained or foxed/
Pages décolorées, tachetées ou piquées
- Pages detached/
Pages détachées
- Showthrough/
Transparence
- Quality of print varies/
Qualité inégale de l'impression
- Includes supplementary material/
Comprend du matériel supplémentaire
- Only edition available/
Seule édition disponible
- Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/
Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	12X	14X	16X	18X	20X	22X	24X	26X	28X	30X	32X
									✓		

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



Seminary of Quebec
Library

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol \rightarrow (meaning "CONTINUED"), or the symbol ∇ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Séminaire de Québec
Bibliothèque

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole \rightarrow signifie "A SUIVRE", le symbole ∇ signifie "FIN".


Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

ails
du
odifier
une
image

rrata
to

pelure,
n à

32X



QUEBECEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FRANCISCI DE MONTMORENCY LAVAL

PRIMI EPISCOPI QUEBECENSIS

SUPER DUBIO

An sententia Judicis subdelegati ab E^{mo} ac R^{mo} Archiepiscopo Quebecensi super cultu praefato V.S.D. non exhibito, seu super partitione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ?

NUM. I.

Proc. fol. 22.

Comme Sa Sainteté Leon treize a daigné enjoindre à la S. Congregation des Rites d'accorder des Lettres Rémissoriales et Compulsoires à l'effet d'instruire le procès de non culte dans la Cause de Béatification et Canonization du Vénérable Serviteur de Dieu François de Montmorency Laval premier Evêque de Québec, Nous les supérieur et Directeurs du Séminaire de Québec soussignés, dans la sèance du Conseil du seize Mars mil huit cents quatre vingt onze, avons nommé à l'effet de solliciter l'exécution de susdites lettres, le Tres Révèrend Thomas Etienne Hamel,

§. 1.
Mandatum procuratoris Rev. D. Postulatoris.

Vicaire Général, Protonotaire Apostolique, un des membres de notre Conseil.

(Signé.) Rens Paquet P.^{tre} Sup. S. Q.

P. Roussel P.^{re}

L. Beaudet P.^{tre}

J. Ch. H. Laflamme P.^{tre}

F. C. Gaguon P.^{tre}

O. E. Mathieu P.^{tre}

M. E. Labrecque P.^{tre}

J'accepte la charge de Postulateur pour les fins susdites, que me confie le Séminaire de Quebec.

Québec seize Mars Mil huit cens quatre vingt onze.

(Signé.) Ehos. E. Hamel P.^{tre}

NUM. II.

Proc. fol. 18.

§. 1.
Supplex Postulatoris
libellus ad Eñum ac
Rñum Archiepiscopum
Quebecensem.

Eminentissimo ac Reverendissimo D. D. Elzearo Alexandro Cardinali Taschereau Archiepiscopo Quebecensi.

Stephanus Thomas Hamel Protonotarius Apostolicus Vicarius Generalis Archidiocesis Quebecensis Postularor in Causa Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency Laval, primi Episcopi Quebecensis legitime constitutus, uti constat ex mandato procurationis quod reverenter exhibet, exponit Eminentiae Tuae Reverendissimae a Sacra Rituum Congregatione concessas esse Litteras Remissoriales et Compulsoriales ad effectum construendi Processum Apostolicum super cultu sive obedientia praestita decretis S. M. Urbani Papae Octavi quae publicum Cultum et Venerationem prohibent erga Dei famulos quorum Beatificatio nondum ab Apostolica Sede decreta fuit, easque

Litteras scriptas esse Eminentiae, Tuae cum facultate subdelegandi ad hunc ipsum effectum suum Vicarium Generalem, vel alterum sibi bene visum virum Ecclesiastica dignitate conspicuum vel etiam simplicem Sacerdotem qui neque ecclesiastica dignitate, neque academicis titulis gaudeat, ad praedictum processum conficiendum. Item exponit impetratas pariter esse alias Litteras a R. P. D. Promotore Fidei Urbis directas Reverendo Domino Promotori Fiscali Tuae Curiae et alteri probo doctoque viro per Eminentiam Tuam eligendo et nominando in eodem Processu una cum praedicto Promotore Fiscali in Fidei Sub-Promotorem. Idcirco praefatus Causae Postulator instanter et reverenter precatur ut ad Litterarum Remissorialium executionem devenire velit, et diem, horam et locum designare in quo ipsae Litterae Remissoriales legitime ac rite praesentari, recipi, aperiri, et executioni mandari possint, citato et interveniente praedicto Dño Promotore Fiscali.

Quod si ob Tua gravia negotia id per Te explere non possis, orator obsequenter postulat ut ad hoc opus, iuxta facultatem a S. Sede concessam, Vicarium Tuum Generalem, vel alterum virum, ecclesiastica dignitate conspicuum vel etiam simplicem sacerdotem deputare placeat, et etiam deputare Sub-Promotorem Fiscalem, qui Processus actis adsistat, Notarium Apostolicum sive ecclesiasticum qui acta conscribat Testiumque depositiones recipiat, et denique Cursorem seu Cursores qui citationes et alia jussa exequantur.

Et de gratia etc

Datum Quebeci die vigesima quarta Martii anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo.

(Signat) Th. St. Hamel P. V. G.
Postulator in Causa

§. 2.
Rescriptum E^mi ac
E^mi Archiepiscopi.

Nos Elzearus Alexander tituli S. Mariae de Victoria, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Taschereau Dei et applicae sedis gratia Archiepiscopus Quebecensis.

Viso plico Litterarum Remissorialium clauso et ob-
signato nullaque in parte vitiato, a Sacra Rituum
Congregatione Nobis directo et precibus exhibi-
tis ab Ill^mo et R^mo D^{no} Thoma Stephano Hamel
Protonotario Aplico Vic. Generali Archidioecesis
Quebecensis Postulatore in Causa Beatificationis
et Canonizationis Servi Dei Francisci de Mont-
morency Laval primi Episcopi Quebecensis le-
gitime constituto, annuere volentes, decernimus
ad petitum Processum procedi. Cum vero pa-
storalis muneris nostri curis impediti, exequutio-
ni dictarum Litterarum incumbere non possumus,
utendo facultatibus Nobis in externa earum Lit-
terarum inscriptione tributis, subdelegamus ad
dictam exequutionem Reve^mum D. Cyrillum
Alfredum Marois Vicarium Nostrum Generalem,
quem mandamus de hac eletione per Cancellari-
um Nostrum Episcopalem monere, et destina-
mus diem decimam sextam mensis Aprilis horam
primam cum dimidio post meridiem ut in sacel-
lo Palatii Nostri praesente Promotore Fiscali
Curiae Nostrae, dictae Litterae Remissoriales No-
bis et dicto Judici subdelegato legitime ac rite
praesententur, aperiantur et excutioni mandari
incipiantur, et etiam praesentetur alter plicus
Litterarum Promotoris Fidei Urbis, et Promotor
Fiscalis et alter a Nobis eligendus, iuxta faculta-
tem in externa eiusdem plici inscriptione tributa
munus Sub-Promotoris acceptent; mandamus in-
super deputari Notarium seu Notarios qui acta
conscribant et Testium depositiones recipiant;
Cursores eligi qui citationes et alia quaecum-
que fideliter exequantur, destinarique dies et ho-
ras et loca, locorumque loca, tam pro Audiendiis
et Actis publicis quam pro iuramentis ex exami-
nibus Testium recipiendis, aliaque fieri quomodo-

libet necessaria et opportuna; et mandamus per Nostrum Cancellarium Episcopalem citari Promotorem Fiscalem praedictum ut iis die, hora et loco compareat non modo ad munus acceptandum, et iuramentum praestandum, sed etiam ad videndum et opponendum contra hoc rescriptum quidquid in Domino videbitur, aliosque fieri etc. Mandamus praeterea de his omnibus et singulis publicum Instrumentum confici, ac in eo praesens mandatum inseri una cum aliis iuribus.

Datum Quebeci ex aedibus Archiepiscopalibus sub signo Nostro sigilloque Archidioecesis ac Nostri Secretarii chirographo die prima Aprilis anno miliesimo octingentesimo nonagesimo primo.

(Signat) E. A. Card. Taschereau.
Archiepiscopus Quebecen.

(L. ✕ S.) De mandato Eñi ac Rñi
DD. Card. Archiepiscopi Quebecensis
(Subsignat) B. Ph. Garneau P.^{tro}
Secretarius

NUM. III.

Process. fol. 23.

Cajetanus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter
Cardinalis Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congre-
gationi Praefectus.

§ 1.
Litterae Remissoriales
S. R. C.

Eñno ac Rñno Domino Card, Archiepiscopo Quebecensi Judici per Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam Decimum tertium, Sacramque Rituum Congregationem et Eñnum ac Rñnum Dominum Cardinalem Lucidum Mariam Parocchii infradicendae Causae Ponentem seu Relatorem delegato ad construendum auctoritate Apostolica Processum super cultu publico et ecclesiastico Ven. Servo Dei Francisco de Montemorency-Laval primo Episcopo Quebecensi nunquam exhi-

bito, seu super partitione decretis Sa. Me, Urbani Octavi, de non cultu, cum facultate subdelegandi ad hunc ipsum effectum suum Vicarium Generalem, vel alterum sibi benevisum Virum ecclesiastica dignitate conspicuum, salutem in Domino et in commissis obedientiam, ac Tua hujusmodi, immo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noverit Eminentia Tua R^ma, Archiepiscopo Quebecen, qualiter constructo, auctoritate ordinario Processu super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum Ven. Servi Dei praefati, eoque ad exitum perducto, et ad Sacram Rituum Congregationem delato, factaque de contentis in eo relatione per E^mum ac R^mum Dominum Cardinalem Lucidum Mariam Parocchi, ad instantiam Rever. Patris Francisci Xaverii Cazenave Procuratoris Generalis Parisiensis Seminarii Missionum ad exteras gentes et hujusce Causae Postulatoris, in ordinariis eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis comitiis ad Vaticanum coadunatis die vigesima tertia mensis Augusti anni millesimi octingentesimi nonagesimi, proposito Dubio: « An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur » Sacra eadem Congregatio omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuerit: « Affirmative, sive signandam esse commissionem si Sanctissimo placuerit »: uti videre est ex ipso Decreto citata die facto tenoris sequentis videlicet:

QUEBECEN

Beatificationis et Canonizationis

Ven. Servi Dei

FRANCISCI DE MONTMORENCY-LAVAL

Primi Quebecensis Episcopi

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

§. 2.
Decretum super introductione Causae,
diei 24 Septembris 1890

Ex illustri et nobilissima familia Diocesis Carnutensis ortus Franciscus de Montmorency-Lavalle, pa-

triae commodis deliciisque posthabitis, longum iter trans maria aggressus in Americam superiorem contendit ut pro eximio, quo flagrabat animarum zelo, eos populos jamdiu sub potestate tenebrarum jacentes, Evangelii luce diffusa ad libertatem traderet filiorum Dei. Quo in munere perficiendo, quod sibi a legitima auctoritate obvenerat, mirum est quot labores pertulerit, quot pericula obiverit, idque per quinquaginta circiter annos: quo temporis spatio, quum Novae Galliae, quam vocant, gentes ad Christianam fidem convertisset, Ecclesiae Canadensis feliciter fundamenta jecit, cujus et primus Antistes ab Apostolica Sede constitui promeruit.

Supernis charismatibus ditatus, supremum diem operiit octuagenario major anno millesimo septingentesimo octavo praeclearae relinquens sanctitatis famam, Haec porro sanctimoniae fama prodigiis quoque suffulta, quae deinceps ejus intercessione a Deo patrata ferebantur, nedum desivit, sed ad nostra usque tempora vivida atque integra perseveravit. Hinc factum est ut ad inquisitionem ordinaria auctoritate tandem deveniretur super ejusdem fama sanctitatis vitae nec non virtutum et miraculorum, Qua rite expleta et ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa tertius decimus benigne indulgere dignatus est ut de dubio signaturae Commissionis introductionis Causae praefati Servi Dei ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria absque interventu, et voto consultorum, licet nondum elapso decennio a die praesentationis Processus informativi in actis ipsius Congregationis neque ejusdem Servi Dei scriptis adhuc examinatis. Quapropter Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanensis, ad instantiam Reverendi Patris Francisci Xaverii Cazenave Procuratoris Generalis Parisiensis Seminarii Missionum ad exteros, hujusce Causae Postulatoris constituti attentisque postulatois litteris plurium Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum tam Ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, in ordinariis Sacrae Rituum Congregationis comitiis ad

Vaticanum subsignata die coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit nimirum: *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuit: affirmative, seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit. Die vigesima tertia Augusti 1890.

Facta postmodum de praemissis per infascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae decimo tertio relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval praedicti, die vigesima quarta Septembris anno eodem.

C. Card. Aloisi Masella S. R. C.

PRAEFECTUS

L ☒ S. =

Vincentius Nussi S. R. C.
Secretarius

De quibus facta postmodum fidei relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae tertio decimo, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Rituum Congregationis ratam habere et confirmare propriaque manu Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval signare dignata fuerit, tenoris ut sequitur:

Beatissime Pater

Adeo hactenus aucta fuit et in dies magis augetur fama sanctitatis Dei famuli Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi, nec non miraculorum, quae D. O. M. ipsius intercessione post ejus obitum, qui contigit Quebeci die sexta Maii anno millesimo septingentesimo octavo,

§. 3.
Commissio introductionis Causae a SSmo signata.

operari dignatur, ut concepta in Septentrionali America ac praecipue Quebeci erga eundem devotione, a plerisque in suis necessitatibus invoceatur, et plurimorum etiam gravium, prudentum et doctorum hominum existimatione Beatificationis et Canonizationis honore dignus, interveniente Sanctitatis Vestrae infallibili Judicio, reputetur. Quamobrem moti quamplures Episcopi, Archiepiscopi, religiosorum Ordinum praesules, sanctimoniales virgines, ac permulti ex omni civium ordine, per suas litteras Sanctitatem Vestram enixe supplicarunt, ut ad dicti Dei Servi Beatificationem et Canonizationem procedere dignaretur. Cum vero in Quebecensi Archidioecesi, ubi Dei famulus decessit, Ordinarius informativus Processus super fama sanctitatis, vitae virtutum et miraculorum confectus fuerit, et opportuna de eodem facta relatione per Rmum Cardinalem Lucidum Mariam Parocchi Relatorem a Sanctitate Vestra deputatum, in ordinariis comitiis habitis die 25. Augusti currentis anni millesimi octingentesimi nonagesimi, praeviis dispensationibus a revisione scriptorum et a lapsu decennii ab exhibitione praefati ordinarii Processus, ab ipsa Sanctitate Vestra benigne concessis die decima quarta Aprilis ejusdem anni, pariterque ab interventu et voto consultorum die vicesima tertia Februarii, Sacra Rituum Congregatio, audito tam in scriptis, quam in voce R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, censuerit et praedicto Processu talia emergere, propter quae ad signandam Commissionem introductionis Causae, si Sanctitati Vestrae placuerit, deveniri possit: hinc P. Xaverius Cazenave Procurator Generalis Parisiensis Seminarii ad exterarum gentes et Causae Postulator constitutus humillime rogat, ut Sanctitas Vestra dignetur Causam vel Causas Beatificationis et Canonizationis hujusmodi, nec non cognitionem virtutum et miraculorum ac publicae famae sanctitatis praefati Servi Dei populorumque erga eum devotionis, cum suis omnibus incidentibus, emergentibus, dependentibus, annexis et connexis quibuscumque confirmando, quatenus opus sit, in Ponentem Rmum Cardinalem Lucidum Ma-

riam Parocchi, eidem Sacrae Congregationi committere et mandare, cum facultate in primis et ante omnia, ut si in Curia aderunt probationes, Rmo Cardinali Sanctitatis Vestrae in Urbe Vicario, si vero extra Curiam, Quebecensi Archiepiscopo committere valeat Processum Auctoritate Apostolica construere faciendi super observantia Decretorum Sa: Me: Urbani Papae Octavi de non cultu editorum; qui deinde rite absolutus ac S. R. C. exhibitus, possit, servatis servandis, aperiri, citato auditoque R. P. Fidei Promotore, ad effectum illum postea discutiendi et ex eo declarandi dictis Decretis sufficienter paritum fuisse. Facta autem per eandem Sacram Congregationem dicta declaratione, eaque ab eadem Sanctitate Vestra approbata si eidem Sacrae Congregationi visum fuerit et Sanctitate Vestrae placuerit, ut possit ad generalem inquisitionem super sanctitate vitae, virtutibus et miraculis dicti Servi Dei Apostolica item auctoritate deveniri; et idcirco eidem Sacrae Congregationi indulgere et liberam facultatem concedere, ut praefato Quebecensi Archiepiscopo committere valeat, ut per se inquiret de fama et devotione populi, deque virtutibus et miraculis aliisque denunciandis dicti Servi Dei in genere tantum et non in specie, et quoad famam si vigeat de praesenti, et ad hunc effectum aliquot articulos ad eundem transmittat, super quibus et super interrogatoriis per dictum R. P. Fidei Promotorem faciendis, debeat per se ipsam et non per alios, testes examinare cum interventu Sub-Promotoris Fidei per dictum R. P. Fidei Promotorem nominandi, et cum potestate citandi et inhibendi etiam sub censuris et etiam per edictum etc. invocato etc. et cum omnibus aliis facultatibus necessariis et opportunis. Quibus peractis ea quae invenerit fideliter rescribat et Processum huiusmodi ad eandem Sacram Congregationem suo sigillo clausum per fidelem Nuncium transmittat cum litteris, in quibus significet quae et qualis praedictis testibus et eorum depositionibus sit danda fides. Quo Processu recepto et per Sacram Congregationem discusso, eadem Congrega-

tio Sanctitati Vestrae referat quid de ejus relevantia sentiat, ad effectum ut Sanctitas Vestra statuere possit an sit deveniendum ad inquisitionem specialem. Quod si Sanctitas Vestra ei locum esse judicaverit, eidem Sacrae Congregationi mandare et injungere pariter dignetur, quatenus R^mo Archiepiscopo Quebecensi committere valeat ut veritatem super dicti Servi Dei fama, devotione populi, vitae sanctitate, puritate fidei, virtutibus et miraculis, ac aliis a Sacris Canonibus requisitis exacte, fideliter ac prudenter secundum articulos et Interrogatoria per dictum R. P. Fidei Promotorem danda et illi transmittenda in specie inquirat, ac jura et monumenta exhibenda coram ipso recipiat, cum interventu sub-Promotoris per eundem R. P. Fidei Promotorem nominandi, et quidquid per hujusmodi specialem inquisitionem invenerit suis sigillis pariter inclusum caute ad eandem Sacram Congregationem transmittat, ut deinde his omnibus mature examinatis in Congregatione coram Sanctitate Vestra habenda, decernatur an talia sint tantique momenti, ut ad Beatificationem sive ad Canonizationem dicti Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval juxta Sacrorum Canonum Decreta et S. R. C. ritum deveniri possit, cum facultate super praemissis omnibus Litteras Remissoriales et Compulsoriales, citato eodem R. P. Fidei Promotore ad quascumque mundi partes, decernendi et relaxandi, atque etiam in Curia toties quoties etc. jura et monumenta quaecumque recipiendi, et si opus fuerit testes per R^mum Cardinalem Urbis Vicarium, seu Episcopos et in loco ab iis deputando, praevia citatione et cum interventu dicti R. P. Fidei Promotoris vel ejus Sub-Promotoris super iisdem articulis seu aliis de novo dandis vel addendis, et juxta Interrogatoria per eundem R. P. Fidei Promotorem danda examinari faciendi sub censuris et poenis etc. et cum aliis facultatibus desuper necessariis et opportunis, caeteraque omnia in praemissis et circa ea quomodolibet faciendi, dicendi, gerendi et exquendi usque ad ultimum et finale complementum praedictae Beatificationis sive Canonizationis,

servata tamen in omnibus et singulis forma Decretorum Sa. Me. Urbani Papae Octavi et Ven. Innocentii Undecimi et non alias etc. non obstantibus Constitutionibus etiam in Universalibus et Synodalibus Conciliis editis atque aliis Ordinacionibus Apostolicis, Regulis Cancellariae, stylo Palatii et Curiae, coeterisque contrariis quibuscumque statum etc. tenores etc. pro plene et sufficienter expressis habent.

Placet I.

Qua Commissione uti supra signata, cum in Quebecensi Archidioecesi constructus haud fuerit Auctoritate ordinaria Processus super cultu praefato Ven. Dei Famulo nunquam exhibito sive super paritione Decretis Sa: Me: Urbani Papae octavi de non cultu editis, idem Rev. Pater Franciscus Xaverius Cazenave Postulator Causae prout in Actis rite constitutus Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam Decimum tertium supplex rogaverit ut concedere dignaretur Litteras Remissoriales ad conficiendum huiusmodi Processum Auctoritate Apostolica, eisdemque Litteras Sanctitas Sua benigne concesserit dirigendas Eñno ac Riño Domino Cardinali Archiepiscopo Quebecensi, qui per se vel per suum Vicarium Generalem, vel per alterum Virum ecclesiastica dignitate conspicuum a se eligendum una cum ecclesiastico Notario et Course ab ipsomet apposite deputandis inchoet et ad finem perducat inquisitionem apostolicam super cultu non exhibito Ven. Servo Dei praefato, assignato pro huius Processus constructione termino unius anni a die exhibitionis earundem Litterarum Remissorialium computando, uti melius patet ex ipso Decreto diei vigesimae sextae Novembris superioris anni tenoris ut sequitur:

Prosequitur fol. 30.

§ 4.
Decretum expeditionis
Litterarum Remissoria-
lium pro construendo
Processu de Non-Cul-
tu, die 26 Novembris
1890.

Quum in causa Beatificationis et Canonizationis Venerab. Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval praedicti, cujus Commissio introductionis nuper a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa de-

cimo tertio signata est, haud fuerit Ordinaria auctoritate constructus Processus super non cultu, seu super partitione Decretis Sa: Mc: Urbani Papae Octavi; Rev. Pater Franciscus Xaverius Cazenave, Procurator Generalis Parisiensis Seminarium Missionum ad externos, hujusce Causae Postulator constitutus, eundem Sanctissimum Dominum Nostrum supplex rogavit ut ad hujusmodi Processum Auctoritate Apostolica conficiendum concedere dignaretur Sacrae Rituum Congregationis Remissoriales Litteras dirigendas Eñno et Rño Cardinali Archiepiscopo Quebecensi, qui per se, vel per suum Vicarium Generalem, vel per alterum Virum ecclesiastica dignitate conspicuum, a se eligendum, una cum ecclesiastico Notario et Cursore ab ipsomet apposite deputandis inchoet et ad finem perducatur inquisitionem super cultu non exhibito; servatis tamen omnibus de jure, stylo et consuetudine servandis atque assignato pro hujus Processus constructione termino unius anni a die exhibitionis praesentis Decreti computando. Sanctitas porro Sua referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario benigne in omnibus annuere dignata est juxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die vigesima sexta Novembris anno millesimo octingentesimo nonagesimo.

CAJ. Card. ALOISI MASELLA
Sacrae Rituum Congregationis Praefectus.

Loco ✠ Signi.

Vinc. Nussi Secretarius.

Citato igitur coram Eñno ac Rño Domino Cardinali Lucido Maria Parocchi Causae Ponente seu Relatore R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore primo ad dicendum contra dictam Commissionem, praefatumque Decretum et successive contra positiones et Articulos in Actis factos datos, quorum copia sibi transmissa fuit ad effectum super illis examinandi testes inducendos

in civitate et Archidioecesi Quebecensi construendique Processum Auctoritate Apostolica super cultu publico et ecclesiastico Ven. Dei Famulo Francisco de Montemorency-Laval nullatenus exhibito juxta dispositionem Decretorum Generalium Sa: Me: Urbani Papae octavi, videndumque illas et illos ad probandum admitti, testes ut supra inducendos examinari, ac decerni et relaxari Litteras Remissoriales pro constructione dicti Processus exequendas in civitate et Archidioecesi Quebecensi ac dirigendas Eñno et Rño Domino Cardinali Archiepiscopo Quebecensi Judici specialiter ut supra delegato, addita facultate subdelegandi ad hunc ipsum effectum R. D. Vicarium Generalem aut alterum sivi benevisum Virum ecclesiastica dignitate conspicuum cum termino unius anni ad dictum Processum conficiendum et absolvendum, qui computari debeat a die praesentationis earundem Litterarum Remissorialium ad formam praeinserti Decreti Sanctissimi Domini Nostri Papae, concordandum de termino per Judicem delegatum et locis locorumque loco et Portitore, nec non constituendum aliquem seu aliquos Fidei Sub-Promotorem seu Sub-Promotores per acta infrascripti Cancellarii, qui dicto Processui intersit sive intersint, et in dicta civitate Quebecensi commode citari possint, alias videndum mandari fieri Processum per affixionem ad valvas Metropolitanae Ecclesiae Quebecensis, dandum Interrogatoria in dictis Litteris includenda, alias videndum mandari easdem Litteras expediri, claudi et sigillari, Testesque praefatos examinari sine dictis Interrogatoriis, et decretum quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi ad diem in citatione ipsa constitutam; qua adveniente, ac in dicto citationis termino comparuit Rev. P. Franciscus Xaverius Cazenave Causae Postulator in actis prouti supra constitutus, qui facto produxit positiones seu articulos in calce praesentium registros, petiitque et institit illas et illos ad probandum admitti, testes inducendos mandari examinari ac decerni et relaxari praedictas Litteras Remissoriales.

dirigendas Eñō ac Rñō Domino Cardinali Archiepiscopo Quebecensi Judici ut supra Delegato cum antedicta facultate subdelegandi suum Vicarium Generalem vel alterum virum ecclesiastica dignitate conspicuum aliaque fieri prout in dicta citatione habetur et continetur et latius infradicitur: dictusque Eñus et Rñus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Relator praefatae Commissionis ac postremi Decreti formam exequendo easdem Positiones et Articulos ad probandum admisit, testes inducendos examinari mandavit petitasque Litteras Remissoriales Eñō ac Rñō D. Cardinali Archiepiscopo Quebecensi Judici ut supra delegato dirigendas cum facultate subdelegandi pro constructione dicti Processus suum Vicarium Generalem vel alterum Virum ecclesiastica dignitate conspicuum, nec non nominandi Ecclesiasticum Notarium et Cursorem ad Processum ipsum intra terminum unius anni, computandum a die praesentationis earundem Litterarum Remissorialium integre explendum, expediri, claudi et sigillari mandavit et Eñum ac Rñum Dominum Cardinalem Archiepiscopum Quebecensem ad illas exequendas in dicta Civitate et Archidioecesi Quebecensi, cum antedicta facultate subdelegandi suum Vicarium Generalem aut alterum ecclesiastica dignitate conspicuum Virum, dictamque Civitatem et Archidioecesim pro loco et locis, pro loco vero loci et locis locorum loca per Eñum ac Rñum D. Cardinalem Archiepiscopum vel subdelegatum Judicem destinanda, Portitoremque pro adsportatione Litterarum Remissorialium deputavit. Nosque Cardinalis Cajetanus Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefectus antedictus considerantes aequum et Christiana Religione dignum esse Dei gloriam, quae in servis suis resplendet, manifestam fieri, volentesque ea quae a Sancta Sede Apostolica committuntur, quaeque in dicta Sacra Rituum Congregatione statuta sunt debita executioni demandare, easdem Litteras Remissoriales modo et forma quibus supra ac etiam inferius exprimendis expediri et exequi mandavimus, injungendo tamen juxta dispositionem

novissimorum Decretorum ejusdem Sacrae Rituum Congregationis, quod ante inchoationem dicti Processus, per Eminentiam Tuam Revm̄am Archiepiscopo Quebecen; vel per Vicarium tuum Generalem, aut alterum sibi benevisum Virum ecclesiastica dignitate conspicuum in casu subdelegationis de qua supra, juramentum praestetur in eodem Processu omnino adnotandum de fideliter commisso munere adimplendo secretoque servando, sub poena excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendae, sequenti forma in iisdem Decretis praescripta videlicet :

« Ego N. N. (exprimendo nomen et cognomen) tacto pectore (quoad Eñm̄ ac Rñm̄ Dominum Cardinalem Archiepiscopum Quebecensem) (quoad vero ejus Vicarium Generalem vel alterum ei benevisum Virum Ecclesiastica dignitate conspicuum) tactis Sacrosanctis Dei Evangeliiis coram me positis, juro et promitto fideliter adimplere munus circa fabricationem Processus in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Episcopi Quebecensis juxta formam Decretorum S. R. C. et praecipue novissimorum, quae confirmata fuere a Ven. Servo Dei Innocentio Papa undecimo, nec non juro et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis, quam de testium depositionibus super iisdem et super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis Sub-Promotoribus et Notario pro eodem Processu deputandis, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua non nisi a Summo Pontifice, excluso etiam Majori Poenitentiario, praeterquam in mortis Articulo absolvi possim, et ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet (subjungendo Vicarius Generalis vel alter Vir ecclesiastica dignitate conspicuus in casu praefatae subdelegationis) et haec sancta ejus Evangelia.

Quocirca Eminentiam Tuam Rñm̄am Archiepiscopo Quebecen, et in casu subdelegationis Te R. D. illius Vicarium Generalem aut alter Virum ecclesiastica dignitate conspicuum ab eodem Eñm̄o et Rñm̄o Domino Cardinali Archiepiscopo eligendum,

de quorum fide, integritate, zelo religionis, perpetuaque ac debita erga Sanctam Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino eadem Sacra Congregatio confidit et Nos quoque confidimus requirimus et monemus, eisdem etiam apostolica qua dicta Sacra Congregatio, et Nos in hac parte fungimur ac ejusdem Sacrae Congregationis Ordinaria Auctoritatibus committimus et mandamus, ut Eminentia tua R^{ma}, Archiepiscopo Quebecen, vel tua vice R. D. Vicarius Generalis, aut alter Vir ecclesiastica dignitate conspicuus ut supra eligendus in casu subdelegationis, vice ejusdem Sacrae Congregationis et Nostra in singulis actibus respective procedens et pro Tribunali sedens intra dictum unius anni terminum ut supra inchoandum omnes et singulos testes ac scripturas, instrumenta, monumenta et alia quaevis probationum genera ad verificationem non exhibiti cultus praefati Ven. Dei Famuli seu partitionis Decretis Sa: Me: Urbani Papae octavi super non cultu editis et ad Processus validitatem necessaria, qui et quae coram Iudice, per quem praesentes Litterae executioni mandabuntur in dicta civitate et Archidioecesi Quebecensi induci, produci et exhiberi contigerit a Personis legitima mandata Procurae habentibus recipiat et admittat; et primo juxta Interrogatoria per dictum R. P. D. Promotorem Fidei hic in Curia data et praesentibus Nostris adjuncta clausa et sigillata, non aperienda nisi coram Iudice harum Litterarum exequutore in actu examinis denuo claudenda et obsignanda sigillo ejusdem Iudicis in fine cujuslibet sessionis examinis dictorum Testium, prout simili modo claudi et obsignari respective aperiri debebunt depositiones dictorum testium exprimendo et adnotando in eodem Processu singillatim omnes Actus aperiitionis et clausurae hujusmodi, sicque clausa et sigillata cum iisdem testium depositionibus retinenda usque ad absolutionem dicti Processus, et deinde super Positionibus et Articulis in calce praesentium registratis, in Ecclesiis Oratoriis, piisque locis, et quoad infirmos, Moniales, Claustrales, seu alios legitime impeditos in aliis

quibuscumque locis per eundem Judicem exequutorem praesentium deputandis et semper exprimendis, tam in citationibus contra dictos testes et Fidei sub-Promotores ab eodem R. P. D. Promotore Fidei nominandum seu nominandos exequendis, quam in juramentis ab iisdem testibus praestandis et examinibus ab eis faciendis testes ipsos omnes et singulos diligenter examinet, praestito tamen in manibus dicti Judicis a se Litteras exequentis per antedictos testes cujuscumque status, gradus, conditionis et sexus existant, etiam Sacerdotes, tactis Sacrosanctis Dei Evangeliiis et non alias aliter, neque alio modo, juramento in eodem Processu similiter adnotando non solum de veritate dicenda, de iis super quibus examinabuntur, verum etiam de servando secretum religiose sub poena excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendae juxta formulam sequentem in iisdem novissimis decretis praescriptam videlicet:

« Ego N. N. (exprimendo nomen et cognomen), tactis Sacrosanctis Dei Evangeliiis coram me positis, juro dicere veritatem tam super Interrogatoriis, quam super Articulis super quibus examinabor, nec non servare secretum nec alicui penitus revelare, tam contenta in iisdem Interrogatoriis quam responsiones et depositiones a me faciendas sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua non nisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario) praeterquam in mortis Articulo absolvi possim, et ita juro et promitto, sic me Deus adjuvet et haec sancta ejus Evangelia.

Eademque testium juramenta nec non depositiones et dicta recipiat, et per fide dignum Notarium publicum Apostolica et Ecclesiastica Auctoritate creatum ab eodem Judice exequutore deputandum in scriptis redigi faciat, praevio tamen juramento a dicto Notario in manu praefati Judicis praestando tactis Sacrosanctis Dei Evangeliiis in eodem Processu registrando de officium suum fideliter adimplendo et secretum servando, juxta formulam ut supra Judici delegato vel subdele-

gato praescriptam, mutatis tamen mutandis, animadvertendo quod testes nequaquam se referant ad attestaciones alias redditas, neque illis recitentur ea quae alias ipsi deposuere, sed quidquid habent explanate et per extensum deponant. Sicut etiam Judex praesentium exequutor, sedulo diligenterque curare debet ne testes ad Articulos respondententes genericè se expediant, ajendo vera esse quae in Articulis vel Articleo continentur, nam quidquid sciunt debent clare et explanate deponere cum omnibus et singulis circumstantiis, quae iisdem vel de visu vel de auditu, vel alio quocumque modo notae sunt, etiamsi eadem illae sint quae in Articulis sivo Articleo ponuntur et non alias aliter, neque alio modo. Absoluto autem examine testium a Procuratore Causae inducendorum, alios testes de non exhibito cultu publico et ecclesiastico Ven. Dei Famulo praefato, illiusque reliquiis et memoriis bene instructos idem Judex praesentium Litterarum exequutor ex officio nominet et inducat, ac praevio juramento, modo quo supra praestando, juxta dicti R. P. D. Promotoris Fidei Interrogatoria examinari faciat, curet et mandet. Coetera vero Processus Acta, aliasque scripturas et jura, ut praefertur exhibenda, in loco solitae audientiae Judicis praesentes Litteras exequentis aut alio ab eo deputando recipiat. Si vero testes praedicti se examini subbjicere distulerint aut recusaverint; testes ipsos ad sese examini subjiciendum sub censuris et poenis canonicis, jurisque et facti remediis opportunis omni et quacumque appellatione postposita idem Judex delegatus cogat et compellat. Demum sepulcrum et locum seu loca, in quo seu quibus corpus vel reliquiae dicti Ven. Servi Dei humatum et asservatas esse constiterit, recognoscat et per omnes et singulas circumstantias ab extra tantum et non alias diligenter visitet atque exacte describat; Actusque visitationis, recognitionis et descriptionis hujusmodi per eundem Notarium Actuarium recipi, et in Processu idem Judex registrare faciat et mandet. Et quatenus ex eor dem testium depositionibus, ju-

ribus et monumentis quibuscumque productis ac visione descriptioneque praefata de jure fieri posse eidem Judici delegato videatur, tunc ipse possit et valeat, imo debeat ac teneatur per sententiam pronunciare dictis Decretis fel. rec. Urbani Papae octavi super non cultu editis in aliquo non contravent n, sed illis sufficienter paritum fuisse et esse.

Utque praedicta omnia liberius executioni mandari possint, idem Judex delegatus Nuncium seu Nuncios pro citationibus aliisque mandatis et Decretis exequendis, recepto prius ab eis juramento de fideliter officium suum exercendo, similiter deputet. Completo tandem Processu et ut supra per sententiam pronunciato ipsorum Testium depositiones et dicta, citationes, acta, omniaque alia ut supra actitata et producta transcribi, et fideliter transumptari, et coram eodem Judice praesentium exequutore, adhibito alio Notario Apostolico seu ecclesiastico per dictum Judicem deputando, praevio juramento in manibus praefati Judicis, ad contactum Sanctorum Evangeliorum praestando de fideliter exercendo officium suum, uti de alio praedicto Notario ad causam deputando supra praescribitur, transcriptionem et transumptum hujusmodi cum originalibus ab antedictis duobus Notariis auscultari, collationari et concordare faciat, ac deinde eandem transcriptionem et transumptum per eosdem Notarios atque etiam a praefato Judice exequutore subscriptum, ejusque sigillo ab intra monitum ac in publicam authenticamque forma redactum, cum successiva attestatione Notarii Actuarii super recognitione subscriptionis et sigilli ejusdem Judicis, describendo etiam formam et qualitatem sigilli, et cum legitimitate in fine apponenda per Eminentiam tuam Revm̄am, Archiepiscopo Quebecen, super approbatione manus subscriptionis, et signi dicti Actuarii propriae ejusdem Eminentiae tuae Rm̄ae manu firmata, tuoque Archiepiscopali sigillo munita in parte finali interna dicti transumpti, illudque deinde clausum et ab extra sigillo tantum pariter Eminentiae Tuae Rm̄ae rite obsignatum, Nuncio

seu portitori deputando cum juramento et obligatione de fideliter adsportando tradat atque consignet, et ad eandem Sacram Congregationem et Nos trasmitti atque adsportari faciat, curet et mandet significando eidem S. Congregationi et Nobis per Litteras Judicis praesentium Litterarum exequutoris nedum generaliter quae fides testibus examinatis sit adhibenda, verum etiam particulariter super iisque per eosdem testes deposita fuere, et an in deponendo idem Judex aliquid viderit seu animadvertit per quod eorum depositio suspecta reddatur.

Decernimus autem et volumus quod in omnibus actis coram Judice praesentium Litterarum exequutore, aut alias circa praemissa faciendis citetur aliquis ex Sub-Promotoribus Fidei per dictum R. P. D. Fidei Promotorem nominandis in Plico suarum Litterarum una cum praesentibus transmittendo. Decernimus pariter irritum et inane quidquid contra formam Nostrarum Litterarum scienter vel ignoranter fuerit exequutum, et eidem Sanctissimo Domino Nostro Papae, seu dictae Sacrae Congregationi reservamus absolutionem omnium et singulorum qui dictas poenas et censuras incurrerint. Pro praemissis autem omnibus et singulis exequendis talem diligentiam, curam et fidem praesentium litterarum Judicem exequutorem adhibiturum speramus, quales gratiam ab eadem Sacra Congregatione et retributionem laboris ab Altissimo pro servis suis valeat sibimetipsi comparare. In quorum testimonium praesentes manibus Nostra et infrascriptorum Reverendorum Patrum Dominorum Protonotarii et Secretarii dictae Sacrae Congregationis firmitas, nostroque sigillo munitas per acta infrascripti Notarii Cancellarii et Archivistae fecimus expediri. Romae ex Aedibus Nostris anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo octingentesimo nonagesimo primo, die vero duodecima mensis Februarii, Indictione Romana quarta, Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris et Domini Nostri Leonis divina Providentia Papae decimi tertii, anno decimo tertio.

§ 5.
Litterae H. P. D. Fi-
dei Promotoris.

Processus fol. 41. terg.

Perillustrres et admodum Reverendi Domini, SSñus Dominus noster Leo Papa decimus tertius per speciales litteras in forma brevis Nobis directas et in Actis Cancellariae Sacrorum Rituum Congregationis productas die septima mensis Julii anni 1882 pro regimine Causarum Servorum Dei pro quorum Beatificatione et Canonizatione instatur, deputavit Nos in Fidei Promotorem cum decreto inter caeteras facultates Nobis tributas, quod in omnibus Processibus super dictis Causis in posterum faciendis et in singulis tanquam pars formalis, et ad instar commissarii Reverendae Camerae Apostolicae et Fisci Procuratoris citari deberemus, et quod in eorum confectione tam in Romana Curia, quam extra eam in quolibet orbis terrarum parte coram quibuscumque Iudicibus Delegatis per Nos seu Sub-Promotorem cum facultatibus quae opportunae videbuntur a Nobis deputandum intervenire valeremus. Cum autem in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Episcopi Quebecensis modo construendus sit Auctoritate Apostolica in civitate et Archidioecesi Quebecensi Processus super cultu eidem Ven. Dei Famulo nunquam exhibito, seu super paritione Decretis Sa: Me: Papae Urbani Octavi vigore Litterarum Remissorialium directarum Eñño ac Rñño Domino Cardinali Archiepiscopo Quebecensi, addita facultate subdelegandi ad hunc ipsum effectum Suum Vicarium Generalem vel alterum sibi benevisum Virum Ecclesiastica dignitate conspicuum assignato termino unius anni a die praesentationis earumdem litterarum computando ad Processum ipsum integre explendum juxta formam Decreti Sanctissimi Domini Nostri per Acta Cancellarii Sacrae Rituum Congregationis producti atque in eisdem Remissorialibus Litteris registrati. Quumque negotio hujusmodi ob loci distantiam, gravesque officii nostri curas, quibus detinemur,

personaliter intervenire non valeamus, Nos de vestrum pietate, doctrina, et religionis zelo, plurimum in Dominum confisi, Vos Rñdum Dominum Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis Quebecensis, et alterum probum doctumque virum per Emum ac Rmum Dominum Cardinalem Archiepiscopum Quebecensem, vel ab ipso subdelegatum Judicem dictas Remissoriales Litteras exequentem eligendum et deputandum, et quemlibet Vestrum in solidum, ita ut non sit melior conditio preoccupantis, nec deterior subsequentis, sed quod unus vestrum incoeperit alter prosequi, absolvere, ac terminare possit et valeat, tenore praesentium in vim facultatis Nobis ut supra tributae, nominamus et deputamus in Sub-Promotores Fidei ad praedictum Processum tantum ut supra construendum, cum facultate omnibus et singulis actis, totique Processui interveniendi, omniaque et singula, quae Vobis opportuna videbuntur opponendi et protestandi, et signanter quod in omnibus et singulis ejusdem Processus Actis legitime citari debeatis, ut Processus ipse, cum sit res maximi momenti, omni cum integritate et legalitate fiat.

Insuper, cum juxta novissima decreta dictae S. Congregationis praescrita sit nova forma in hisce processibus servanda, ut in §. 5. sub sequenti tenore videlicet: Tertio: et pro majori cautela praescribi debeat in Litteris Remissorialibus quod non solum Interrogatoria retineantur semper clausa et sigillata cum sigillis eorundem Judicum non aperienda nisi in actu examinis et claudenda in fine, sed ulterius depositiones ipsae, antequam Processus sit absolutus, in fine cujuslibet Sessionis claudi et obsignari debeant cum sigillis Judicum, nec possint aperiri nisi in praesentia ipsorum in principio cujuslibet examinis et sessionis, et hujusmodi diligentiae fieri debeant etiam in Processibus conficiendis in Curia, iidemque Judices prout etiam sub-Promotores et Notarii tam in partibus quam in Curia, ac testes et in Curia etiam Prototonotari debeant ante inchoationem Processus praestare jusamentum de servando secretum re-

ligiose sub poena excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendae, juxta formulam ejusdem juramenti imprimendam in fine Decretorum et pro omnimoda observantia transmittendam Judicibus delegatis in ipsis Remissorialibus Litteris et sub-Promotoribus in Litteris Promotoris.

Cujus quidem juramenti formula in praefatis Decretis praescripta quoad Judices, Notarium et testes registrata reperitur in dictis Remissorialibus Litteris, et respectu Sub-Promotorum est ea quae sequitur:

« Ego infrascriptus, tactis Sacrosanctis Dei Evangeliiis coram me positis, juro et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus Apostolici super cultu nulloatenus exhibito Ven. Servo Dei Francisco De Montmorency-Laval primo Episcopo Quebecensi, sive super partitione Decretis Sa: Me: Papae Urbani octavi de non cultu editis, juxta formam Decretorum S. R. Congregationis et praecipue novissimorum quae confirmata fuere a Ven. Servo Dei Innocentio Papa undecimo, nec non juro et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis, quam de testium depositionibus super iisdem et super Articulis nec de de iis loqui cum aliqua persona, exceptis Judicibus, altero sub-Promotore et Notario pro eodem Processu deputatis, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua non nisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario) paeterquam in mortis articulo, absolvi possim, et ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet et haec Sancta Ejus Evangelia ».

